Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2769
Quelle:
Copyright:



*orbis inhumanus extitit humanis creaturis? — Tollat mentis amaritudinem clemens pater* &c. Longam ceterum texit ταυτολογιαν, e qua nihil intelligas, nisi ablatam sibi, quam habuerat, *modicam prelaturam.* Incipit illa: *Apperi labia mea deus et tenebras loquentis illustra vt sit efficax sermo meus* &c. Sub medium legitur: *nappa processibilis pro clareto. Vappa* rescribendum puto, cum *Clareto* opponatur, sed ἐπιθετον non adsequor.

XXXVI. *fol.* 157. Plausus Musicus *Clementi VI.* Autor, ut in calce: *Magister Philippus de Vitrejo in laudem pape clementis VI. anno suo primo circa natalem domini.* Prosa rhythmica est, iis similis, quas hodie *Recitativi* vocant. Pars prior in margine inscribitur *Triplum*, a *tribus* putem vocibus, unde olim *triplo*, *quadruplo cantare*, in vet. Gallico *Treble*, ut notat *Carpentarius* in *Glossar. novo* v. *Discantus* et hodie *a Tre*, *un Terzetto.* Initium est:

*Petre clemens tam re quam nomine,*
*Cui nascenti tonantis dextera*
*Non defuit quin ymo cardine*
*E supremo beata munera*
*Susciperes felix* &c.

Nec *Pierides* absunt:

*Harum solus precellis dotibus,*
*Harum dono cuncta gimnasia*
*Carmentina pegasi pedibus*
*Transuectus es a puericia* &c.

Subjicitur votum: *Deterreat*

*Clangor tube turcorum pectora,*
*Desipiant augures memphcos,*
*Consoletur tristis armenia,*
*Et elatus succumbat ysmael,*
*Et germinet deserta syria,*
*Et depressus resurgat israel* &c.

Pars altera in margine dicitur *Motetus*, termino vel hodie technico, et infit:

*Lugentium siccentur oculi,*
*Plaudant senes, exultent parvuli* &c.

Et post laudes:

*Tu cirrei sinus appollinis*
*Parnasijque uigor certaminis*
*Phitonistas heresis ubere*
*Crapulatos soles prosternere,*
*Ac dum flectis sermonis timpanum*
*Corda rapis et auris organum* &c.